

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Vaticinia,|| Siue|| Prophetiæ|| Abbatis|| Ioachimi,|| &||
Anselmi Episcopi|| Marsicani,||**

Joachim <von Fiore>

Venetiis, 1589

Vaticinivm XXV.

[urn:nbn:de:bsz:31-248994](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-248994)

IN VATICINIA.

sine sceptri, hoc est, paulo ante quàm ex hac vita decederet, & ad æternam, & immortalem euolaret. Volumus dare inscriptionem, quæ in illo nostro manuscripto est: ad hunc itaque modum in eo verba sunt,

Vendentium sacra non cessabunt, & confringetur idolum Danielis, & cœnobita ad locū pristinum redibunt, & ordines mendicantium, & aliæ sectæ plures annihilabuntur, bestia occidentalis, & Leo Orientalis vniuersum mundum subiugabunt, & pax erit in toto orbe terrarum. Tu autem vades in inferiora terræ. Litteræ, quæ infra caput solent esse in his imaginibus, hic litura deletæ sunt, & nisi vnicum C. visui offertur, & superscriptio. Coronabitur in L.

Qui lucro sponsonibus inuigilant, secundo post B. & S. Xistum V. futuro Pontifici hoc vaticinium dant, quid nos sentiamus, in sequenti dicemus. Hoc vnum innuentes, sacrificia videntium, ad hæreticos referri, idolum, ad Turcas, cœnobita, ad decretum Pij V. de 4. religionibus. de bestia occidentali, & Leone orientali secretiora, hoc tempore à nobis non sine causa, in custodia habenda sunt.

VATICINIUM XXV.

HOc vaticinium in nostro manuscripto exemplari cū superiori ita coniunctum est, vt ad dexteram sit vultus inter duo vexilla, quorum vnum anteriori dextero pede retinet, & ad leuam hæc vrbs cernitur, manibus non supra, sed infra positis, ita vt dimidium vaticinij, vsque ad verbum annihilabuntur, ad Pontificem spectet, cuius in superiori meminimus. Reliquum verò ad Urbem hanc. Licet quædam verba supra eam litura deleta sint, alicuius pueri fortè manu. Essent ea animaduertenda, quæ ad literas inclusas in eo capitales facerent; atramen tanta est illarum in omnibus libris impressis, & manuscriptis corruptio, ut nihil diuinare queamus. Nomina quoque non sunt eadem

K 2 in om-

ADNOTATIONES

in omnibus, & vltimæ illæ literæ, quæ Scaligero sunt Ca. Bo. in quibusdam exemplaribus. Io. Ab. Ia. Ba. Io. Bo. Io. Ob. Adhibeant solertes formales numeros, & se ex huiusmodi labyrintho extricent. Quid enim dicendum sit, aut coniectandum (ingenuè fateor) nihil est mihi, præter illa, quæ ex meo vetustissimo ab hinc paucis mensibus producturus sum. Videant, qui lucro inhiant ad Pontificem trans montes hoc vaticinium deferentes: nam ipse num transactum, num præfens, num futurum sit, num simplex, duplexve, susque deque habeo, & alijs perquirendum relinquo. Oblitus pene dicere nunc fueram, hunc tertium à Sanctissimo, & Beatissimo Xysto occupare locum iuxta camporum sententiam auream, argenteamque.

VATICINIUM XXVI.

Vellem in hoc vaticinio explicando omnes curiosi, & sapientes elaborarent: nam cum in eo contenta, & iuxta imagines, & iuxta inscriptionem in omnibus libris differentia sint, triplex tantùm à me afferretur descriptio, quæ veritati magis consona, & libris magis probata visa est. Prima sit Scaligeri. Est in illius libro Colonia Agrippinæ apud doctissimum virum Theodorum Gramineum anno septuagesimo impressum, Nudus super rupem sedens, plorans, manu ad faciem admota, & ante illum stat puer, manibus ante pectus sublatis, nudum respiciens. Liber quidam manuscriptus satis probatus monachum capite tonsò, nudumque habet, qui manu sinistra circa tempus sublata, dextera spargens nummos plorat, habetque à dextera parte scriniolum, & crumenam nummis referta, respicitque puerum ante se stantem, manu sinistra baculum retinentem, dextera pectori adhærente, & nudum murum respicientem. Meus verò ille vetustissimus à me tantopere in his adnotationibus adductus Pontificem præfert, sacerdotalibus vestimentis